Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 345
Quelle:
Copyright:

Mohammedis, quo usus dicitur vindictae caussa *Clericus quidam valde famosus, cum in curia romana honorem, quem cupiebat, assequi non posset.* Ex ungue leonem. Incipit Narratio: *Quomodo sedet sola ciuitas scilicet Iherusalem* &c. et *fol.* seq. *Peregrinationes que modo nouissimis ostenduntur temporibus in Sancta terra Juxta experientiam taliter a me manifestantur.* Manifestator hic est *Fridericus de Steinach*, ut ait ad calcem, αὐτόπτης, qui tamen nec tempus, nec modum itineris, nec aliud quidquam de se prodit, contentus enumerare loca memorabilia, et preces ubique dicendas recitare. Nescio, an ad antiquam *Steinacensium* in *Tyroli* vel *Styria* Prosapiam pertinuerit Viator hic noster, qui ligna in silvam tulit, et saltem *Catalogum* Itinerantium auget, quem collegit solers *Fabricius Bibl. med. Lat.* ad v. *Antoninus Placentin.* Praemissa nota, quod signum ✠ adpositum in quovis loco significet *indulgentiam a culpa et pena*, infit: *Vnde primo postquam nauigando peruenitur ad portum bene in distancia vnius leuce, tunc peregrini educuntur ad portum dictum Joppa, secundum alios Gaffa* &c. Rectius *Jaffa*, ne *Caffam*, seu antiquam *Theodosiam* procul hinc distantem intelligas.

VI. *fol.* 198. Rhythmi morales, quorum initium:

Omnis mundi creatura, quasi liber et pictura
Nobis est in speculum.

Nostre vite nostre sortis, nostri status nostre mortis
Fidele signaculum. &c.

VII. *fol.* eod. p. 2. Dubia quaedam Theologica determinantur, v. g. *Quomodo intelligendum sit, quod in persona domini nostri Ihesu Christi est verus deus et homo, et deus ubique est, et tamen humanitas Christi non est vbique, sed tantum certis et determinatis locis* &c. Ante *Ubiquetistas* Seculi XVI.

VIII. *fol.* 204. *Retractationes Sancti Thome ordinis fratrum predicatorum.* Brevis Observatio, quae incipit: *Transibunt plurimi et multiplex erit scientia* &c. Adnectitur Elenchus *paruorum* ejus *Opusculorum*, et notatur, contineri haec *in libro quodam in conuentu predicatorum Cremensi* (Cremsensi?) *qui liber habet hunc titulum Questiones Egidij* (de Columna) *de generatione.* Opuscula omnia reperi partim in Edit. *Opp. Rom.* 1570. T. XVII. partim in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. praeter *Questiones propositas in Concilio generali*, quae quid sint nescio, *Thoma* quidem ad Concilium gen. *Lugdun.* II. vocato, verum, ut notum est, defuncto in itinere. Opusculis ultimum accensetur: *Responsio Joh. Parisiensis ad reginam Nauarre.* Duo referuntur T. I. *Scriptt. O. P. p.* 119. et 500. hujus nominis Viri; neutri tamen simile quid tribui video.

IX. *fol.* 206. *Nota de diuersis metris.* Recensentur plus quam XX.